EXAMEN EPISTOLÆ ET PARTIS PHYSIOLOGIÆ DE EXAMINE SAGARUM per aquam frigidam;

à

GVILHELMO ADOLPHO Scribonio, Medicinæ & Philosophiæ Doctore, diuersis temporibus in lucem editarum:

Concinnatum à quodam

IGNOTO PATRONO VERITATIS.

[See note on preceding page.]

Epistola Scribonij, quæ examinatur, in fine adiecta est.



cIↄ Iↄ LXXXIX.

E

E T

S

Qu



ut

bu

ali

ſur

co

op

co

pu

lic

te

EXAMEN EPISTOLAE ET PARTIS PHYSIOLOGIÆ SCRIBONIANÆ DE EXAMINE sagarum per aquam frigidam.

CAPVT I.

Qualem se homo philosophus in redarguendis aduersarijs præbere debeat, quodq; aduersarios mortuos aut lingua aut calamo aut quacunq; alia ratione contumeliosè perstringere indecorum sit & philosopho indignum.

IN scholis philosophorum veterum, quòd in disquisitione veritatis humani ingenii acie imperuestigabilis versarentur, prout quisque probabilibus ducebatur rationibus, ita vel hoc vel illo modo de quæstione aliqua statuere liberrimè poterat. Concessum etiam erat, à quibus aliquis dissentiret, eorum sententiam contrariis argumentis oppugnare: idque non tantùm in priuatis congressibus, verùm etiam in publicis disputationibus & magna auditorum corona licebat. Integrum etiam erat, si quis suæ sententiæ stabilimenta, aduersæ autem infir-

mitatem publici iuris facere, & ad posteros transmittere vellet. Hæc, inquam, omnia in veterum scholis citra cuiusquam reprehensionem permittebantur: ea tamen lege, vt à defensione falsi dogmatis pertinacia, à dissensione affectus, à refutatione virulentia & alia quæuis immodestia abesset. Atque ea consuetudo, tanquam haud illaudabilis, in Christianorum quoque scholis locum inuenit.

Verumenimuerò omnibus seculis reperti sunt, & etiamnum reperiuntur haud pauci tam præfracto & intractabili ingenio homines, vt conuicti etiam quodlibet potius vadimonium, quàm semel cœptam sententiam, licet cum pietate & religione è diametro pugnantem, deserere mallent. Qui si ab aliis cordatioribus viris ab errore in viam reducantur, indignè ferunt; & cùm aliter tueri se nequeant, in calumnias atque conuicia & lingua & calamo toti proruunt. Nec desunt, qui id vnum operam dant, vt iis quos odio habent, aut quorum gloriæ inuident, vel rectè sentientibus canino more oblatrent: à quibus quicquid bene dictum vel factum est, id prauis interpretationibus vitiant, & illepidis sarcasmis vulgo contemptum reddere conantur. Atque vtinam nostra hæc

ſtra hæc ætas tam male-feriatorum ingeniorum non eſſet ſuperioribus illis longè feracior.

Cùm verò omnis in contradicendo intemperantia vitioſa eſt, tum vel illa maximè, quæ in viros de rep. & re literaria præclarè meritos, & iam ætate graues exercetur: magisque ſi illi, ſolutis per mortem animæ & corporis compagibus, in hominum conſortio eſſe deſierint. Omnibus in ore eſt vulgata illa & ab ipſa honeſtate dictata ſententia: *De abſentibus non niſi bona.* Hac admonemur, ſi inter colloquendum abſentis alicuius mentio incidat, eam non niſi honorificam eſſe debere. Quod ſi ita eſt: ſi, inquam, de hominibus viuis adhuc ea ſermonis moderatione loquendum, ne vel abſentum honor minima ex parte violetur, quanto maiore ſtudio idipſum erga vita defunctos obſeruandum eſt? Quid enim aliud ſibi apud veteres apparatus funebris, veſtitus lugubris, præficæ, epitaphia, cenotaphia, parentalia, aliaque eiuſmodi aliud voluerunt, quàm eos, qui virtutem & pietatem viui coluiſſent, ne mortuos quidem eſſe dehoneſtandos?

Atqui, inquies, iſta amicis demortuis, iisq; à quibus læſi nunquam ſumus, deben-

tur, non autem aduerſariis aut hoſtibus, qui quouis modo moleſti nobis fuerunt: Quorum laudes decantare poſt obitum velle, extremæ fuerit dementiæ. Ego verò nequaquam, inquam, ſi laudabilem inter homines vitam duxerint, tantum abeſt, vt rebus humanis exemptos odiosè cenſeam flagellandos. Scitiſſimè Ouidius:

Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit.

Facile quidem eſt mortuos, quia non mordent, iugulare; at quàm facile, tam eſt inglorium. Qua in re inſigne eſt Pauſaniæ Spartani exemplum, qui dux ad Plateas, cùm hoſtium copias fudiſſet, tã moderatè illa ſua victoria vſus eſt, vt, cùm quidam autores ei eſſent, vt capita Perſicorum ducum occiſorum cruci affigeret, atque iſto modo Perſarum, qui ſimili contumelia Leonidam regem affecerant, crudelitatem vlciſceretur, reſponderit, ſe mortuos nulla contumelia affecturum eſſe, ac ſibi ſatis eſſe ſi iuſta dicens & faciens Spartanis ſuis placeat.

Nec prætereundum, quod apud Sophoclem in Antigone extat. Cùm Creon Polynicis cadaueri ſepulturam concedere nollet, Tireſias ſepeliendum ſuadens his verbis eum alloquitur:

Ἀλλ' εἶκε τῷ θανόντι, μηδ' ὀλωλότα
Κέντει, τίς ἀλκὴ τὸν θανόντα ἐπικτανεῖν;

Id est;

Ignosce mortuo, nec eum qui extinctus est
Pungas; quis honor necare denuò mortuum?

Narrat Homerus, Græcos Hectoris ab Achille interfecti cadauer circumsistentes, in mortuum conuiciis, in cadauer ferro sæuiisse. De quibus Iliad. χ. sic canit:

——Ἄλλοι δὲ περίδραμον υἷες ἀχαιῶν
Οἳ καὶ θηήσαντο φυὴν καὶ εἶδος ἀγητὸν
Ἕκτορος, οὐδ' ἄρα οἵ τις ἀνουτητί γε παρέστη.

Hoc est;

Concurrũt reliqui cinguntq́; cadauer Achiui;
Defuncti eximiam speciemq́; modumq́; stupentes
Hectoris, inflicto & nisi vulnere nemo recessit.

Et paucis interiectis:

Ὣς ἄρα τις εἴπεσκε, καὶ οὐτήσασκε παραστάς.

Hoc est;

Dixerat hoc astans aliquis; mox vulnera fecit.

Quid verò Græci beluina illa sua crudelitate aliud cõsecuti sunt, quàm dedecus æternum & ignominiosum illud epigramma, in quo sic eos alloquens introducitur Hector?

Βάλλετε νῦν ἐπὶ πότμον ἐμὸν δέμας, ὅττι καὶ αὐτοὶ
Νεκροῦ σῶμα λέοντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί.

Hoc eſt;

Figite nunc ferro noſtrum poſt funera corpus,
Extincto inſultat leporum quoq; turba leoni.

Ad eundem planè modum etiam illi, qui mortuos ore, vel calamo, vel alia quacunque ratione odiosè inceſſunt, non meliori nota, quàm illi nomen ſuum immortalitati conſecrant. Itaque Plancus (vt C. Plinii ad D. Veſpaſianum præfantis verbis vtar) non illepidè: Cùm diceretur Aſinius Pollio orationes in eum parare, quæ ab ipſo aut liberis poſt mortem Planci ederentur ne reſpondere poſſet: Cum mortuis, inquit, non niſi laruas luctari: eoque dicto ſic repercuſſit illas, vt apud imperitos nihil videretur impudentius.

CAPVT II.

Apoſtrophe ad Scribonium; in qua inter alia ei vitio datur, quòd petulanter in Evuichium debacchatus ſit, quodq; ipſo iam mortuo Phyſiologiam ſuam in publicum emiſerit.

HAEc tibi, Scriboni, ad quem nunc ſermonem conuerto, ob oculos ponuntur, tibi perpendenda offeruntur. Ecquid enim horum eſt, quod abs te alienum docere poſ-

re poſſis? Erroris tui de cauſa ſupernatationis Sagarum, cùm per aquam frigidam explorantur, ab Evuichio, Neuvualdo, Goclenio viris eruditiſſimis commonefactus, acerrimum ſcilicet adhuc te præbes propugnatorem. In Oleuiani & Piſcatoris Dialecticas commentationes, cùm ne verbo quidem vnquam te læſiſſent, illiberaliſſimè calamum ſtrinxiſti. Neuvualdum ex delirio ad ſaniorem mentem te reuocantem, inſolenter exagitaſti. Quodque publico omnium odio dignum eſt, Evuichii ſenis optimè de Rep. & ſchola Bremenſium meriti manes quàm inſolenter deriſiſti? Cui, præterquam quòd petulantiſſimis verbis obtrectas, verbera etiam (ô impudentiam hominis omnium qui viuunt!) tanquam puero tertiæ claſſis Corbachianæ minitaris.

Non te huius, vt cætera mittam, pudet Scriboni? Puderet, niſi frontem perfricuiſſes. Quid verò doctos de te iudicare cenſes? Adeóne decorum tibi videtur, vt mortuo leoni inſultans pro lepore, & cum mortuis luctans pro larua habearis?

Egregiam verò laudem & ſpolia ampla reportas:

ſed talia, quæ nemo ſanus ſibi tecum volet eſſe communia.

Ego verò, ne forte id putes, Scriboni, tantorum virorum patrocinium nequaquam suscepi, sed vitia illa tua, quæ siue impudenter, siue imprudenter, illiberaliter certè in commentando committis, ob oculos tibi ponere volui, vt pro tua in medicando dexteritate à me tibi monstratos pertinaciæ, contentionis & virulentiæ morbos (intellexi enim medicos in propriis morbis cognoscendis vtplurimùm hallucinari) adhibitis docilitatis, sobrietatis & modestię antidotis profligare satagas. Quæ si in tuis hortis (nam non omnis fert omnia tellus) vt facilè crediderim, non nascuntur, aliunde, quemadmodum & cætera exotica, erunt comparanda. Iisque vsurpatis magis sanum tibi deinceps fore cerebrum confide, quàm si ter quatérve Anticyras hellebori bibendi gratia magno sumptu nauigationem instituisses.

Quoniam verò dubito, vtrum pro hoc meo salutari consilio, quæ huius ætatis hominum erga beneficos est ingratitudo, vel minimam mihi homini ignoto habiturus sis gratiam, hoc vnum te per teipsum, quem tibi scio esse carissimum, oro & obsecro, vt hanc meam in te exornando, & ab animi vitiis emaculando, fraternam solicitudinem

nem in meliorem partem accipias. Quod si feceris, id maximæ gratitudinis loco habebo, & tantę, vt maiorem abs te expectare nec velim nec ausim.

Capvt III.

Propositio; vbi simul narratur, quomodo Sagæ per aquam frigidam explorari soleant.

NVnc, quia mētem tuam in meliorem statum reductam confido, ne crabrones irritem, qua possum æquanimitate verborumq́ue mollicie examen illud Sagarum per aquam frigidam tecum examinare constitui.

Qua in re quanquam actum agere, ac proinde incassum laborare tibi videbor, quod & Evuichio in vestibulo Physiologiæ tuæ obiectum memini: tamen periculum faciendum censeo, si forte nunc animo saniore, hoc est ad intelligendum magis accommodato tractabilior euaseris, quàm antè, cùm alii in eandem arenam tecum descenderēt, fuisti. Atq; vt rem ab ouo vt aiunt exordiar, eius narratio ita propemodum se habet.

Cùm Lemgouiam anno 1583. mense Septembri venisses, tres Sagæ ob plurima eaq́ue nefanda delicta iudicum sententia

ad rogum damnatæ,& extra vrbem concrematæ ſunt. Quo die id fiebat,tres aliæ,quas priores illæ ceu ſocias & factionis ſuæ conſortes indicarant , protinus à lictoribus comprehenſæ, & cuſtodiæ ſunt mandatæ. Poſtridie ſecunda circiter hora nudatæ veſtibus, decuſſatim ligatis manibus pedibusq́ue,nimirum vt dextra manus ſiniſtro pedi & ſiniſtra dextro per pollices copularetur, quò ne minimùm quidem mouere ſe poſſent, ſpectantibus aliquoties mille hominibus, ter in aquam ſunt coniectæ, cui inſtar truncorum innatantes nequaquam viſæ ſunt ſubmergi.

Huius rei in aliis Germaniæ locis inuſitatæ cùm tu quoque non tam ſpectator quàm admirator eſſes, de cauſis eius aliquid noſſe cupiens, ex aliorum relatu intellexiſti, iſthoc pacto ſuſpectas veneficii mulieres probari ſolere.Pro Sagis autem haberi illas, quæ non merguntur;quæ verò merſæ ſubſidunt, innocentes declarari. Atq; illum examinandi morem in Lemgouienſi Rep.non antiquum eſſe, ſed nouum, & proximo anno ex aliorum populorum obſeruatione introductum. Hæc ferè in epiſtola. In Phyſiologia autem nuper edita ſcribis, illam ligationem, quæ fit decuſſatim,quòd ob cru-

cis fi-

cis figuram superstionem redoleat, aliis in locis negligi, ibiq; satis esse, si manibus duntaxat vinctis in aquam præcipitentur.

CAPVT IIII.

Quòd modus ille Sagas per aquam frigidam explorandi, superstitiosus & Diabolicus sit, ac proinde incertus & fallax.

QVæ hactenus veluti ex ore tuo commemorauimus, omnia ita gesta esse indubitãter credimus. Quòd verò inde colligis experientiam illam, hoc est, illum Sagas explorandi modum certum nec fallacem esse, nequaquam tibi dandum existimamus. Etsi enim tam vetus est, vt origo eius ignoretur, haud dubium tamen, quin à superstitione potius, quàm quauis alia occasione originem duxerit. Diuinitus vtique reuelatum aut præceptum esse, nullis testimoniis ex sacris literis tanquam vnico veritatis fonte petitis (nam friuolas illas tuas coniecturas ne gry quidem facio) vnquam mihi confirmabis. Neque verisimile est casum illa ostendisse, quæ cum tanto fiunt apparatu, quantus ad hoc examen requiritur. Multo minùs humana ratio aliud ex alio colligens ex causis physicis eo modo Sagas

explorare docuit. Nam cùm tu in rei, quam iam oculis tuis vidiſti, cauſis indagandis tantopere te fatiges, & quò magis progrederis, tantò magis exorbites, nouisque ſubinde contradictionibus & abſurditatibus te implices: quomodo ſuperiorum ætatum homines ex cauſis naturalibus, rem, quæ omnes phyſicæ ſcientiæ terminos excedit, ab eaque longè alieniſſima eſt, humano iudicio & conſilio introduxiſſe nobis perſuadebis? Si ergo hæc Sagarum per aquam frigidam δοκιμασία Deum autorem non habet, ſi nec caſu quodam, nec humana ratione inuecta eſt, quid aliud reſtat, quàm id, quod in principio poſui, à ſuperſtitione profectam eſſe?

Haud immeritò etiam ob ineptos ritus, qui adhibentur, ſuperſtitionis pleniſſima exiſtimabitur. Sagæ examini illi ſubiicicndæ nudantur, crucis in modum manibus pedibusq; vinciuntur, ter in aquam demittuntur. Cur nudæ? Cur ita vinctæ? Cur ter demittuntur? An non hæ ridiculę & ſine ratione excogitatæ ſunt ceremoniæ? Nec minuit ſuperſtitionem, quòd nonnullis in locis illa in crucis figuram facta ligatio non obſeruatur. Parte enim ſublata non illico totum tolli neceſſe eſt? Exemplum fraudis Diabo-

Diabolicæ ea in re apparet ſingulare ; qui, cùm videret ceremonioſo illo ligandi ritu quorundam animos tantopere offendi, vt totam actionem ſuperſtitionis exinde ſuſpectam haberent, παρέργον decedere maluit, quàm ipſum ἔργον in totum aboleri & intermitti. Quæ cùm ita ſint, cùm, inquam, tota hæc actio non alio fundamento, quàm anili quadam & futili ſuperſtitione nitatur, acetum in pectore non habet, quiſquis vel micam certitudinis in ea quærere inſtituit.

Deniq; ſi ex effectu de cauſa iudicandum eſt, quid quæſo hoc examinandi ritu erit fallacius? Diabolum peculiari quodam modo Sagas in aquæ ſuperficie retinere, in Phyſiologia tua aliquoties fateris. Atqui hunc Chriſtus homicidam fuiſſe ab initio, & in veritate non perſtitiſſe, Ioh. 8. teſtatur. Addit etiam, veritatem in eo nõ eſſe, & cùm mendacium loquitur, ex propriis loqui, quia mendax eſt & mendacii pater. Hunc verò tu magiſtratui ad veritatem eliciendam operam dare cuiquam perſuadere conaris? O miſeros & fraudum Diabolicarum ignaros, quotquot talibus præſtigiis illudi ſibi abs te patiuntur!

Nec eſt quòd hîc mihi obiicias, Deum iuſtũ eſſe: velle, vt ſcelerati & impii homines

notentur & puniantur: vti Diabolo tanquam ministro qui eos discruciet. Quæ verissima sunt, Scriboni, nec à quoquam Christiano homine in dubium vocantur; veruntamen distinctione opus habent. Etenim nec omnes, quos in hac vita Diabolus cruciat, impii sunt: nec pii, quibus ille vel nihil, vel parum molestus est. DEVS enim Opt. Max. etiam amicos suos Diabolo castigandos tradit, idq; in eum finem, vt eorum partim constantiam & fidem probet, partim superbiam, luxuriam, aliaque vitia retundat. Hi tamen ad extremum Christi auxilio superiores euadunt, & de hoste victo seriò triumphant. Impii verò, etsi foris quietissimam & nullis aduersæ fortunæ procellis obnoxiam vitam agere videantur: conscientiæ tamen crudelissimo verme nocte dieq; sine intermissione roduntur: quidam etiam planè securi viuunt, & corporis simul, & animi ægritudinem nullam sentiunt, palàm beati, si beatus impiorum

Ante obitum quisquam supremaq; funera debet.

Nec desunt ex illorum numero, quibus in hac etiam vita omnia eueniunt aduersissima: omnes tamen æternis pœnis reseruantur, Hi igitur vt puniantur. Deum ad iustissimi

ſtiſſimi iudicii ſui executionem Diabolorum tanquam lictorum, adde etiam, ſi libet, carnificum, miniſterio vti, Scriptura paſſim teſtatur, idque nos libentiſſimè credimus.

Fruſtra autem hinc efficere conaris, Diabolum homines ſceleratos certis indiciis magiſtratui indicare, vt ab inſontibus ſontes diſcernere valeat, & hos ſupplicio afficiat, illos liberos dimittat. Nullo enim Scripturæ apice id mandatum exprimitur. Tum magiſtratui, qui ſontes ſint, qui inſontes, manifeſtare, eſſet veritati teſtimonium perhibere, quod à Diaboli naturâ tam alienum eſt, quàm quod alieniſſimum. Quin imò cùm Chriſtus luculenter doceat, Diabolum eſſe mendacii patrem, ipſumque ex ſeſe nihil niſi mendacia loqui: abſurdiſſimum eſt, ne quid grauius dicam, veritatis notas ab ipſo petere & expectare. Id enim perinde eſſet ac ſi quis in lutoſiſſima palude riuos aquæ limpidæ, in plùs quàm Cimmeriis tenebris lucem meridiana clariorem quæreret.

Quò ſis confugiturus, ſatis ſcio. Diabolum à Deo coactum iſthuc officii iudicibus præſtare dices. Dices quidem, ſed non probabis. Quod ſi feceris (facies autem nun-

quam) libenter acquieſcemus , nec litem vllam tibi deinceps intentabimus.

Cùm igitur ex iam dictis conſtet, conſuetudinem illam Sagas per aquam frigidam explorandi ſuperſtitioſam & Diabolicam eſſe ; Diabolum autem ab initio homicidam & mendacii autorem Chriſtus ipſemet appellet: heu miſeras fœminas, quibus examen tam periculoſum & fallax ſubeundum eſt: miſeriores, quorum ſuffragiis talia approbantur : miſerrimum Guilhelmum Adolphum Scribonium, qui ingenium ſuum tam impiis nugis defendendis proſtituit.

CAPVT V.

Cauſæ inueſtigantur, cur Sagæ in aquas proiectæ non mergantur. Vbi Contradictio: Sagas ſecundum Scribonium eſſe homines, & non eſſe.

POſtquam quid Lemgouię videris, enarraſti, cogitare te ais cœpiſſe, an phyſica aliqua cauſa huius præſertim rei, quæ humano conſilio atq; iudicio introducta fuiſſet, inueniri & deſcribi poſſet. Et paucis interpoſitis, fateri te ais, & negare non poſſe, quin illa res ſtupenda ſit & plurimùm admiranda: non tamen eiuſmodi actionem eſſe

esse putas, quam mente nostra haud comprehendere queamus.

Fundamentum autem disputationis tuę in duobus illis physicorum axiomatibus collocas, quorum vnum est, Leuia suapte natura ferri sursum; alterum, Grauia suapte natura ferri deorsum. Quæ nos quoque pro certissimis & infallibilibus agnoscimus. Hinc infers, quia Sagæ secus quàm aliæ mulieres, super aquas ferantur nec submergantur, leuitatem illis necessariò adscribendam esse, à qua videlicet effectus ille producatur. Cùm verò præsentisceres, obiici tibi posse, eandem esse materiam & formam corporis Sagarum, quæ sit aliarum fœminarum, & proinde parem vtrisq; leuitatem & grauitatem inesse oportere: aliud principium ad propositum tuum constabiliendum assumendum tibi iudicasti.

Dicis itaque, veneficas (tua verba quantum possum retineo) prioris suæ formæ statum eo ipso tempore protinus amisisse, ex quo necessitudinem cum Satana & familiaritatem inierunt, nec ampliùs esse tales homines, quo ad formam interiorem, quales antè fuerunt: adeoque nouam prorsus formam assumere. Itaque Sagas definis homines, essentiam Diaboli, à quo obsidentur, participantes.

Hîc rectè ab Evvichio contradictionis crimen tibi exprobratur, à quo te liberare, licet mille tropos, mille metonymias comminiſcaris, nunquam ſanè poteris. Fateris in Phyſiologia tua, poſita forma formatum poni, & ſublata forma tolli formatum. Rectè ſanè. Nam res per formam eſt id quod eſt, & formæ beneficio à cæteris rebus quibuſcunque diſcernitur.

Fateris etiam in Triumpho tuo logico in formæ explicatione, formam duplicem eſſe, aliam interiorem, aliam exteriorem. Interior eſt (inquis) ſubſtantialis rerum inuiſibilis forma, quam paulò antè eſſentialem appellaueras. Exterior eſt cuiuſlibet rei exterior facies ſiue figura; eamq́ue formæ diſtributionem à Petro Ramo prætermiſſam doles.

Ex quibus ego colligo, te Sagas homines eſſe ſimul fateri & negare, hoc eſt, teipſum contradictione implicare. Homines eſſe fateris; quoniam hoc nomine abs te appellantur. Contrà negas eſſe: quia interiorem illam formam, videlicet eſſentialem, eas amiſiſſe affirmas. Etenim ſublata eſſentiali hominis forma, ipſum formatum quoque, hoc eſt, hominem tolli neceſſe eſt. Audi igitur ſyllogiſmum.

Quis-

Quisquis hominis interiorem, hoc eſt, eſſentialem formam amiſit, homo amplius non eſt.

Sagæ (ex tuo ore loquor) interiorem, hoc eſt, eſſentialem hominis formam amiſerunt.

Ergo Sagæ homines amplius non ſunt.

Sagæ igitur homines tibi ſunt, & non ſunt.

Quid autem eſt in Logica arte, de cuius peritia tantopere gloriaris, impingere; quid tibiipſi contradicere, ſi hoc non eſt? Verùm id iudicii tui, quod à deploratis illis mulierculis (penè quid grauius mihi excidiſſet) faſcinatum opinamur, grauiſſimis perturbationibus acceptum feremus. Tu verò Logicæ artis Magiſter, & toties triumphator, tum etiam excellentiſſimus Rhetor tam leuem contradictionem coloribus rhetoricis facilè velare, & rerum imperitis, vt ne minimum quidem diſſenſionis animaduertant, citra difficultatem fucum facere poteris?

Ex hac fiducia tuus ille ad Evvichium ſermo prodit: *Tu quidem opinaris me formam hominis interiorem, ſiue ſubſtantialem è Sagis excludere. Vnde verò hoc colligis? Ex verbis, puto, minùs dextrè intellectis.* Heus tu, Scriboni, mortuo verba facis, qui nec exaudire

te, nec reſponſum tibi dare poteſt. Pro quo ego (modò cum gratia & pace tua fiat) paucis tibi reſpondebo, nimirum ex verbis tuis non perperam aut minùs dextrè, ſed propriiſſimo ſenſu acceptis, id tam euidenter colligi, vt mirum candidioribus videatur, qua fronte negare audeas.

An non ſatis clarè fabularis, Sagas prioris formæ ſtatum amiſiſſe: clariùs autem, priſtinam formam amiſiſſe: clariſſimè, non amplius eſſe tales homines, quò ad formam interiorem, quales antè fuerunt? Idem igitur tibi ſignificant hæc tria: prioris forma ſtatus, priſtina forma, & forma interior: licet diuerſum ſonent. Significant, inquam, formā hominis eſſentialem. Hanc enim tu interiorem vocas. Atque his ſubiungis, eas nouam formam aſſumere. Vnde iterum ſequitur, priorem periiſſe. At qualem? interiorem nempe. Huic enim abs te opponitur.

Quid igitur tergiuerſaris, Scriboni? Quin agnoſcis tuam antilogiam? Proteum age, quantum libet. Mihi clarius hiſce nihil dici poſſe videtur Ergo hæſitantem lectorem ad epiſtolæ tuæ verba remitto.

Capvt VI.

Fallitur Scribonius, quòd Sagas à Diabolo obsideri opinatur.

PORrò quòd in definitione Sagarum asseris, Sagas Diaboli, à quo obsidentur, essentiam participare; Diabolum item corda earum, & partes earum vniuersas ita occupare, vt totus per totam illarum essentiam, essentiæque partes singulas essentialiter sit diffusus, vt tantisper dum pœnitentiam veram haud egerint, & omnino resipuerint (agnosce tua verba) non possit ab vlla corporis illarum parte abesse: non minùs falsum est,quàm abominabile.

Ex hac tua opinione, quot Sagæ nobis sunt præstò,totidem adsunt & Diaboli.Ergo maritus vxorem habens Sagam, cibum capturus cum Diabolo discumbit: in eodem lecto Diabolum iuxta se cubantem habet: quodque omnium grauissimum, è corpore vxoris Diaboli (vt tu vis) essentiam participantis prolem suscipit. An non hæc detestanda sunt, & dictu simul & auditu horrenda consectaria?

Ego verò Diabolum, quò ad essentiam suam, in Sagis nequaquam habitare existimo, sed extra ipsarum corpora esse firmiter

concludo. Etenim quos obſidet, eos atrociſſimè cruciat, eorum lingua pro ſuo arbitratu vtitur: quod Sagæ non, vt illi, experiuntur. Narrant ipſæ, quo tempore, quo loco, qua ſpecie ad ſe venerit, quid fecerit, quando receſſerit. Diaboli etiam phantaſma ſemper extra ſe vident. Quæ vtique non euenirent, ſi eſſentialiter (vt tuis phraſibus vtar) per ſingulas ipſarum eſſentiæ partes eſſet diffuſus.

Conſule hiſtoriam Euangelicam, & verè diſces, obſeſſos Diabolum in ſuis corporibus habuiſſe. Marcus cap. 1. Erat (inquit) in ſynagoga eorum quidam, in quo erat ſpiritus impurus. & cap. 5. Egreſſo Chriſto è nauigio, ſtatim occurrit homo, in quo erat ſpiritus impurus. & cap. 9. Quidam adduxit ad Chriſtum filium ſuum habentem ſpiritum mutum, videlicet intra corpus ſuum. Nam eſſe in aliquo ſpiritum impurum, & habere ſpiritum impurum, promiſcuè ab Euangeliſtis vſurpantur. Et niſi Diaboli dæmoniacorum corpora eſſentialiter obſediſſent, fruſtra ad Chriſtum vt expellerentur, fuiſſent adducti, fruſtra expulſi, fruſtra ne denuò ingrederentur, prohibiti.

At quorſum hæc, inquies, abs te allegantur? Vt intelligas, eos, extra quos Diabolus eſt,

lus est, non obsideri. Quod huiusmodi syllogismo demonstro:

Extra quos Diabolus est, illi à Diabolo non obsidentur.

Extra Sagas Diabolus est.

Ergo Sagæ à Diabolo non obsidentur.

Veriùs igitur mentes Sagarum occupat, dum prauas cogitationes & suam malitiam eis instillat, easq; ad lædendum non solùm Deum, verùm etiam proximum nocte dieq́ue instigat. Ad quam rem nulla essentiæ suæ per corpora Sagarum diffusione opus habet.

CAPVT VII.

Malè à Scribonio affirmatur, malum genium spiritualis, ætheriæ, aëriæ naturæ esse. Vbi noua contradictio.

PErgis in epistola: *Quæ cùm ita se habeant, nemo vtique dubitauerit, quin & totius corporis ipsarum facultates & potentiæ prorsus immutatæ sint, ac pristina earum forma perierit. Mali autem genij natura planè spiritualis est, ætheria, siue etiam, si placet, aëria, leuissima, in omnem locum sublunarem celerrimè permeabilis.*

Hactenus tua verba, quibus non solùm in Theologia, verùm etiam in Physica sci-

entia turpiſſimè impingis. Namque ſpiritus & corpora ab vtriuſque profeſſoribus tanquā res maximè diuerſæ, accuratiſſimè diſtinguuntur. Eas verò tu intolerabili errore hoc loco confundis. Quanto plus iudicii acumine valuiſti, cùm rerum naturalium doctrinam methodicam in lucem ederes. In qua naturas diſtribuis in formatas & materiatas. Formatas appellas ſimpliciſſimas illas, quæ per ſe ſolius formæ proprietate abſque corpore conſiſtunt. Huius generis dicis eſſe mentes ſeu ſpiritus. In quorum claſſe malos genios etiam recenſes. Materiatas deinde naturas definis eſſentias in corpore motui obnoxio ſubſiſtētes; quę nos vno vocabulo corpora nuncupamus. Has naturas poſtquam in ſimplices & concretas primò, deinde ſimplices in conſtantes & inconſtantes diuiſiſti: cœlum, hoc eſt, æthera in conſtantium claſſe reponis, aërem verò inter inconſtantes refers.

Diabolos igitur pro ſpiritibus habes, quatenus naturæ ſunt ſpiritualis; & pro corporibus, quatenus ſunt naturæ ætheriæ ſeu aëriæ. Et ne me in vocibus ludere putes, animum aduerte. Non dubito, quin eodem ſenſu Diabolis naturam ætheriam ſiue aëriam attribueris, quo ſpiritualem attribuiſti.

Atqui

Atqui naturæ ſpiritualis eſſe, ſignificat tibi ſpiritum eſſe. Ergo naturæ ætherię vel aëriæ eſſe, ſignificat corpus eſſe. Siquidem æther & aër abs temetipſo, vt ſuprà planum fecimus, in corporum cenſum rediguntur.

Cùm itaque Diaboli ſpiritus & corpora ſimul à te ſtatuantur, fieri non poteſt, quin denuò duriſſimæ contradictionis laqueo te irretieris. Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſes, Diabolus ſpiritus eſt, & non eſt; corpus eſt, & non eſt. Ex qua tamen tu, qui quouis cothurno verſatilior es, quemadmodum & ex cæteris, exiguo negotio te explicabis.

Nos interim Diabolum ſpiritum eumq́; malum & impurum tantiſper exiſtimabimus, quoad tu nobis corporeum eſſe oſtendas. AEtheriæ mihi crede naturæ nihil habet, multoque minùs aëriæ. AEther viſu, aër tactu, ſi feriatur, percipitur. Neutrum horum in ſpirituales naturas cadit. Proinde Chriſtus quoque, vt corpore ſuo apparens ſpiritum ſe non eſſe diſcipulis ſuis demonſtraret, videndum & palpandum ſe præbuit; quaſi diceret, quiſquis videri & palpari poteſt, ſpiritus non eſt. Quòd verò ſpiritus videntur, quòd tanguntur aliquando, præter naturam ipſorum fit, & ex accidenti. Vel enim tunc aliena corpora aſſumunt, vel

ſpectra rerum, ſeu imagines pro rebus ipſis oculis noſtris ſubiiciunt. Sed quid ego fruſtra has rationes mecum deputo, cùm tu quoque in epiſtola tua Diabolos tanquam ſpiritus aſpectabiles & tractabiles eſſe neges?

CAPVT VIII.

Diabolus, cùm ſpiritus ſit, nec leuis, nec grauis eſt, ſicut Scribonius leuiſsimum exiſtimat. Leuitas enim & grauitas corporum, non ſpirituum ſunt qualitates.

QVamobrem cùm certum ſit, Diabolos ſpiritus eſſe, malè leuitatem, quæ ſolis corporibus natura ſua conuenit, eis attribuis. Hîc tuam ipſius Phyſicam euolue, & leuitatem inter qualitates corporum, ſiue, vt tu vocas, naturarum materiatarum reperies. Sic autem abs te definitur: *Leuitas eſt qualitas à calore orta, omnia ſurſum euehens.* Quod ſi ita eſt; vbi calor nullus, ibi nec leuitas. At nullus in Diabolo calor; ergo nec leuitas. Præterea quicquid leue eſt, ſemper ſurſum nititur. Diabolus nō ſemper nititur ſurſum. Etenim in omnes mundi huius inferioris partes, ſurſum, deorſum, antrorſum, retrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, & quocunq; deniq; vult, motu voluntario, non naturali, fer-

li,fertur. Ergo Diabolus leuis non eſt. Item, Quicquid corpus non eſt, non poteſt eſſe leue. Diabolus corpus non eſt. Ergo non poteſt eſſe leuis. Hîc aſſumptionis negatio neminem offendat, cùm reſpectu propoſitionis affirmet. Perinde enim eſt, ac ſi ſic dixiſſem: Nullus ſpiritus leuis eſt. Diabolus eſt ſpiritus. Diabolus ergo leuis non eſt.

Nec valet argumentum: Diaboli graues non ſunt. Igitur ſunt leues. Aduerſa enim de eodem ſubiecto ſimul dici nequeunt. Atqui Diabolum nec grauitatis nec leuitatis ſubiectum eſſe, ſuprà abundè probatum eſt. Ergo haud neceſſe eſt, negata in Diabolis grauitate, illico leuitatem affirmari.

Nec pro te facit, quòd Diabolus Sagarum corpora in altum euehere, & celerrimè aliò transferre poteſt. Id enim peculiaris roboris ſeu facultatis argumentum eſt, non leuitatis. Et longè alia Diabolorum celeritas eſt, quàm corporearum naturarum.

Quod ſi ita nugari liceat, ego contrà Diabolis grauitatem ineſſe oſtendam. Ex cœlo in infernum deturbati ſunt. Qui motus eſt ex ſuperiore loco in inferiorem. Iam verò eo motu graues naturæ feruntur. Et Diaboli porcos, quos permittente Chriſto ingrediebantur, deorſum, videlicet in mare, præ-

cipitabant. Quin etiam experti ſunt nonnulli, ſe à ſpiritus inſidentis vel incumbentis pondere grauiſſimè premi. Quæ ſanè omnia grauitatis cuiuſdam teſtimonia eſſent, ſi ſpiritualis natura grauitatis capax eſſet.

Sin verò, vt video te ſub Rhetoricarum figurarum laruis, tanquam tutiſſimo propugnaculo, libenter latere, Diabolum ideò leuiſſimum dicere libet, quòd in obedientia & fide erga Deum non perſtitit, quòd ſuperbiendo ſe & ſuæ factionis innumeros ſocios ſummo illo bono, Dei bonorumque angelorum conſuetudine, leuiſſima de cauſa priuauit, haud grauatim tibi aſſentiar.

CAPVT IX.

Quòd Diabolus eſſentiæ ſuæ per Sagarum corpora diffuſione ſuam eis leuitatem nequaquam inſerat.

CVm itaque ex iam dictis luce meridiana clariùs appareat, Diabolū propriè loquendo nec leuitatis nec grauitatis participem eſſe: audiamus, quid porrò hinc efficere volueris, ſi obtinuiſſes. *Quapropter*, inquis, *putauerim ipſam* (hoc eſt, mali genii naturam ſpiritualem, ætheriam, aëriam, leuiſſimam)

ſimam) *in Sagarum corporibus reſidentem ſua eſſentia ſpirituali atque volatili ſiue leuiſsima, longiſsimè etiam leuiora illa reddere, quamuis hoc ab alijs non deprehendatur: vel potius ita attrahere ſpiritu ſuo eſſentialiter ipſis infuſo ac inhærente, vt per eius leuitatem ſuſtentatæ nolentes volentes ſub aquas ferri non poßint.*

Video te hoc primùm velle, Scriboni: Quoniam leuis eſt Diaboli eſſentia, in Sagarum corporibus habitans, ipſis quoque Sagarum corporibus leuitatem (aliis tamen hominibus nō obſeruantibus) ab illa communicari. Ergo, Si Sagarū corpora ob Diabolum inhærentem leuia euaſerunt, non amplius vtique erunt grauia. Et quia grauia amplius non ſunt, ſub aquas deſcendere & ſubmergi nequeunt. Hæc tuæ diſputationis ſumma eſt.

Ad hęc vt paucis reſpondeam, an non ſuprà ſatis clarè oſtenſum eſt Diabolum nec leuem eſſe, nec Sagarum corpora ita occupare, vt ſubſtantialiter eis inſit? Quod ſi ita ſe habet, quomodo leuitatem ſuam, quemadmodum tu vis, cum eis communicabit? facietq́ue vt corpora, quæ grauia olim fuerunt, in poſtremum exiſtant leuia? Fundamento vtique euerſo, quicquid ſuperſtructum eſt, corruere oportet.

Tum

Tum etiam, ſi grauia non ſunt Sagarum corpora, quid opus habent hircis, ſcopis, aliíſve eius generis vehiculis, quibus inſidentes per aërem moueantur? Cur alii homines priſtinam in eis grauitatem deprehendunt? Cur ex alto cadentes terræ non minùs, quàm alii homines, illiduntur?

Demus autem Scribonio, diabolum eſſe leuem, in Sagis etiam eſſentialiter commorari. Quid tum poſtea? Num idcirco expulſa grauitate ſuam eis infundet leuitatem? Exempla repugnant. Etenim Marc. 9. ſcriptum legimus, puerũ lunaticũ à diabolo, à quo obſidebatur, modò in ignem, modò in aquã, vt eum perderet, eſſe proiectum. Id verò quomodo fieri potuiſſet, ſi corpus obſeſſi leuitatem obſidentis participans graue ampliùs non fuiſſet? Quid verò de porcis Gergeſenorum, de quibus Matt. & Luc. 8. Marc. 5. dicam? in quos ſimulac præcipiente Chriſto dæmones irruiſſent, totus grex in mare ſe præcipitauit, & ſuffocatus eſt. Cur horum corpora, in quibus diaboli, Euangeliſtis teſtibus, veriſſimè erant, non itidem, vt tu de Sagis nugaris, euaſerunt leuia, & aquis, vt illa, innatarunt? Quod vtique factum oportuiſſet, ſi diabolus corpora illa, in quibus eſſentialiter inhabitat, leuitate aliqua diabo-

diabolica imbueret. Vides illa etiam arma, quæ tu in Physiologia ad delirii tui defensionem ex Euangelistis deprompseras, minimè tibi profuisse, imò plus ad euertendum quàm roborandum habere momenti. Proh pudor : capra contra seipsam cornua produxit.

Caput X.

Quòd Diabolica leuitate Sagæ in aquæ superficie non sustententur.

ALiam deinde supernatationis illius causam affers. *Diabolum suo spiritu essentialiter Sagis infuso ac inhærente ita eas attrahere, vt per eius leuitatem sustentatæ nolentes volentes sub aquas ferri nequeant.* Horum verborum, si rectè ineptias tuas intelligo, hic est sensus. Sagarum corpora, etsi grauitatem suam non deponunt, vt in priore commento somniasti (ô inconstantiam) nihilominus tamen diabolica leuitate sustentata mergi non posse. Ad eum, opinor, modum, qua natatorum corpora suppresso spiritu in aquæ superficie retinentur. Hæc aliquatenus me puto intelligere: at vero, quid sit spiritus diaboli, quomodo item diabolus Sagas illo suo spiritu attrahat, id verò est, quod meum captum superat & Delio nata-

tore opus habet. Diabolum ego ſpiritum alium non arbitror habere, quàm ſeipſum. Nec video, quomodo corpora Sagarum, quarum etiam partes minutiſſimas ex tua ſententia occupauit, attrahere amplius poſſit. De leuitate diabolica quod affers leue eſt, & reſponſione non indiget, ne crambe toties cocta lectoribus nauſeam moueat. Satis demonſtratum eſt, à ſpirituum natura corporeas qualitates eſſe alienas.

CAPVT XI.

Quòd ineptiſsimum ſit commentum, aquam Sagas odiſſe, ideoq; reſpuere, nec intra ſe recipere, quòd, cùm eius lauacro Eccleſiæ Dei primùm inſertæ eſſent, eo tamen ſpreto à Deo ad Diabolum defecerint. Concluditur itaq;, ne hanc quidem ſupernatationis Sagarum cauſam veram exiſtimari debere.

NVnc ad aſyli illius tui, in quod prioribus duabus ſtationibus turpiſſimè deſertis poſtremo loco confugis, expugnationem me accingo. Cuius firmitas ſi par eſſet fiduciæ tuæ, ego fruſtra ad oppugnandum arietes meos admouerem. Verùm audiamus teipſum noui huius diuerticuli omnes receſſus à baſi ad coronidem vſq; nobis explicantem.

Sed videndum, inquis, deinceps vtrúmne in ipsis fluminibus aut aquis ratio aliqua inueniri possit. Et quidni? Natura.n. non prohibet. Quid igitur dicemus? Quam causam annotabimus, quòd Sagæ aquis non submergantur? Vtrúmne singularem quandam seu specialem corporis aquarum & Sagarum antipathian? Maximè quidem. Aqua scilicet Sagas in se ferre non potest. Quomodo verò, & quam ob causam? Nempe Deus Opt. Max. suo prudentissimo & iustissimo iudicio ab omnibus inde seculis elementum aquæ prædestinauit salutari regenerationis hominum lauacro, vt qui à peccatis abluendi essent, & Christi Ecclesiæ initiandi, huius baptismate vterentur, & per hoc medium noui homines facti quasi per ianuam in regnum Christi ingrederentur, qui prius reiecti fueramus. Quandoquidem, inquam, Vatiniano quodam odio eas auersatur & reiicit, vt si maximè pro viribus tentent, non tamen submergi possint. Et quodnam est illud odium? Aquæ Deo placuerunt, quibus vsurpatis peccata hominum ablueret atque purgaret. In baptismate Christo Dei Filio nomina nostra primùm damus, & eius albo incorporamur, adeoque in ciuitatem Dei vt germani ciues recipimur: ideoque omnes qui salui modò fieri volunt, sacro huic baptismati immergi & purgari oportet. At Sagæ spreto isto diuino

lauacro, toti trinitati, Deo Patri, Filio, & Spiritui sancto scientes volentes renunciant: & nihili Dei creatoris opera, nihil ordinationes & creaturas facientes, peccatores & apostatæ omnium aliorum fiunt pessimi. Cùm autem hoc scelere in toto mundo nullum scelestius, nullum deterius, nullum abominabilius vnquam definiri aut reperiri possit: quid dubitem dicere, si Sagæ non submergantur aquis, id fieri ob peculiarem istam antipathian: videlicet quod elementum aquæ nolit illas intra alueum suum recipere, sed omnino respuat, & omnibus modis fugiat, hunc scilicet in finem, vt peccatrices eiusmodi manifestentur. Nã & creaturæ inanimatæ inseruiunt prædicationi & gloriæ nominis diuini. Vt scilicet cœli, ita quoque elementa enarrant gloriam Dei, tum aliâs, tum in hoc, si peccatum & iniustitia ab illis reuelata puniatur. Aqua in baptismate est sacramentum, est signum, est sigillum initi inter Deum & hominem baptisatum noui fœderis. Quidni igitur eadem alio modo signum aut indicium esse possit dissoluti illius & fracti iterum fœderis? Et hanc rationem siue causam facilimè dixerim esse verissimam, vt si aliæ nullæ admittendæ videantur, vna tamen hæc recipienda sit.

Quàm verum est, Scriboni, quod vulgò perhibent, ægrum animum semper errare.

Constitueras nobis supernatationis Sagarum causas physicas explicare. Nunc ad Baptismum confugis. Vbi de hoc in physicis traditur? Annō hoc potius est ex metaphysica rationes petere? Grauissimè, quod doleo, hoc loco Theologos offendisti. Vindex hominum genus, si quid contra Scripturam delinquas. Baptismum abs te euacuari conqueruntur. Quamobrem, inquies? Quoniam regenerandi & à peccatis purgandi virtutem aquæ ascribis, nulla interim Spiritus sancti, qui regenerat, & sanguins Christi, qui à peccatis mundat, facta mentione. Confers igitur in Creaturam, quod Creatoris est: in signum, quod rei signatæ est. Quod non sine magna vtriusque fit iniuria.

In mentem tibi veniant exempla eorum, qui, antequam baptizarentur, iam erant regenerati. In quorum numero sunt AEthiops & Cornelius Centurio. Sic Abraham antequam circumcideretur (in circumcisionis autem locum à Christo baptismus est substitutus) iustificatus erat. Ex quo efficitur, nō aquam, sed præstantiorem aliquem regenerationis autorem quærendum esse, nimirum Spiritum sanctum. Pari ratione cum sanguinem Iesu Christi filii Dei ab omni peccato nos purgare 1. Ioh. 1. Christum

lauiſſe nos à peccatis noſtris ſanguine ſuo; Apoc.1.nos redemptos eſſe pretioſo ſanguine Chriſti tanquam agni immaculati 1.Pet. 1.à Spiritu ſancto docemur; cogitemus hanc vim nulli alii creaturæ ineſſe, ac proinde nec aquæ.

Quorſum igitur, inquies, aquæ in Baptiſmo ex Chriſti inſtituto adhibetur? Reſpondeo; ab externa illa corporis abſterſione, quę fit per aquā, internam illā, qua ſanguine Chriſti pro nobis effuſo à peccatis mundamur, nobis obſignari. Quā certò igitur aqua baptizati ſumus, tā certò credamus, nos per Chriſti ſanguinem remiſſionem peccatorum obtinuiſſe. Præter hæc immerſio in aquam adumbrat nobis veteris hominis mortificationem; emerſio ex aqua regenerationem & nouam vitam. Vides igitur aliud officium, alium vſum aquæ eſſe in baptiſmo, quàm tu Scriboni opinaris.

Verumenimuerò, vt magna errorum fœcunditas eſt, ex eo, quòd aqua nos regenerari & à peccatis purgari ſcribis, natus eſt alius, nimirum, eos, qui ſine baptiſmo decedunt, æternæ ſalutis participes fieri non poſſe. Atque is error tertium nobis in Eccleſia peperit, quo baptizandi facultas priuatis hominibus ipſiſq; adeò mulierculis conceditur,

tũr, ne infantes recens nati, si subita aliqua eaq; periculosa ægritudine corripiantur, & legitimi ministri copia non sit, sine baptismo spiritum exhalent.

Atqui Deus infantes fidelium, antequam nascantur, se adoptare in suos pronunciat, quum nobis se Deum fore promittit & semini nostro. Quibus verbis infantium salus absque dubio continetur. Non igitur putandum est, infantes, qui absque baptismo moriuntur, regenerationis gratia & æterna salute priuari. Neque verò ita, vti diximus cum piis sentientes Baptismi dignitati quicquam derogatum volumus, sed infantes primo quoque tempore Ecclesiæ Dei per Baptismum inserendos iudicamus. Quod si per supinam & impiam parentum oscitantiam negligatur, id parentibus potius ipsis, quorum negligentiam Deus non sinet impunitam, quàm infantium saluti officere certissimè persuasum habemus. Ast hæc in Theologorum libris fusiùs exponuntur.

Cernis igitur, Scriboni, duorum criminum à venerandis Theologis te accusari: quorum alterum est, quod regenerationem nostram, & à peccatis purgationem, non à sanguine Christi, & Spiritu sancto, sed ab externo elemento, aqua videlicet, dependêre

autumas: alterum verò, quòd omnibus illis, quibus aqua aſpergi non contingit, ſalutis & æternæ vitæ hæreditatem denegari putas.

Proximum eſt vt videamus, quid porrò velis. In Baptiſmo dicis nomina noſtra Chriſto nos dediſſe, & albo eius incorporatos eſſe. Quoniam verò Sagæ ſpreto iſto lavacro toti Trinitati, Patri, Filio & Spiritui ſancto volentes renunciarint: idcirco aquam, per quam lauacrum illud perficitur, Sagas odio (quod tu lepidè admodum Vatinianum vocas) proſequi, & intra alueum ſuum recipere nolle, ſed omnino reſpuere: atque ob hanc cauſam ipſas in aquam præcipitatas mergi non poſſe, quò magiſtratui manifeſtentur.

Vno abſurdo poſito infinita alia ſequuntur. Aquæ regenerandi & à peccatis mundandi virtutem falsò attribuiſti. Nunc iniuriam contempti Baptiſmi in eandem redundare affirmas, ac proinde ab aqua Sagas odio haberi ac reiici, vt ſi maximè tentent, mergi tamen nequeant. Ego hactenus credidi & adhuc credo, eos qui Baptiſmum contemnunt, & à Deo ad Diabolum deficiendo irritum reddunt, nulla contumelia externum ſymbolum, nimirum aquam, verùm ipſum Deum, afficere. Quemadmodum

dum etiam Paulus teſtatur, illos, qui ad menſam Domini accedentes indignè de pane edunt, & de poculo bibunt, non panis aut vini, ſed corporis & ſanguinis Domini reos fieri, ideoque iudicium ſibi edere ac bibere. Sic illi, qui Principis alicuius ſtatuam, imaginē, ſigillum, aut aliud eiuſmodi malitiosè violant, non in lapidem, aurum, argentum, vnde facta ſunt, ſed in ipſum Principem delinquunt, & iniurii ſunt.

Iam verò illud etiam perquam ridiculum eſt, quod ob Baptiſmum ſpretum ab aqua Sagas odio haberi ſcribis. Ergo aqua viuit? Ergo ſentit? ergo ratione prædita eſt aut certè aliquid, quod rationi analogum ſit, habet? Quæ vtique abſurda ſunt. Nam odium ex offenſa naſcitur. Quomodo autem offendi poteſt, qui moleſtiam nullam ſentit? Si ergo moleſtiam non ſentit aqua, nec offendetur: Et ſi non offenditur, nec odio habebit. Vt ego opinor, aqua eſt res muta, cœca, ſurda, vniuerſis denique animæ facultatibus in totum deſtituta: nec te in tua phyſica aliter ſentire video: licet hîc animatam facias, dum velle & nolle ei attribuis.

Ad innatas rerum antipathias, quales multę ſunt, confugies, easq; ſimilibus phraſibus enunciari dices: Sic Magnes vna parte

trahit ferrum , altera respuit : vna parte ad Septentrionem flectitur, altera Septentrionem auersatur. Sed hoc est rem exemplis declarare & explicare, quæ probatione adhuc indiget.

Et magna inter hæc est dissimilitudo. Quòd Magnes vna parte ferrum & Septentrionem fugit, naturalis quædam alienatio est. In aqua erga Sagas nulla talis. Igitur si qua esset, aliunde accederet. Id quod adhuc tibi demonstrandum relinquimus. Deinde Magnes vel teipso in tua Physica teste, quodammodo viuit. In aqua vitæ nihil.

Demus autem, aquam spreti Baptismi iniuriam vlcisci tam posse quàm velle, an non tum potius totas protinus absorberet & suffocaret, quàm sine vllo vitæ discrimine veluti dorso suauiter subiecto retineret? Cur non ipsa potius de iis, à quibus tàm grauiter scilicet læsa est, supplicium sumeret, quàm carnifici cruciandas traderet? Nisi fortè existimas, aquam instar principis cuiusdam puniendi munus, tanquam sua maiestate indignum, ad carnificem relegare. Et certè Sagarum, si submergi nequirent, in naufragio periclitantium multo melior esset conditio, quàm aliorum hominum. Si te in submersionis metu constitutum porrecta manu

manu aliquis ſeruaret, non tu illum amicum & in te beneficum agnoſceres? Eſſet igitur amoris, non odii indicium, ſi naufraga Saga ſuffocationis periculo per aquam liberaretur.

Præterea ſi aqua Sagas tantopere auerſatur, cur non minus quàm alii homines ab illa madefiunt? cur lauantur aqua? cur per medias aquas incedunt, & non potius eius ſuperficiem, ſicut Chriſtus & Petrus fecerunt, calcant?

Cur etiam aquam bibunt, & in corporis ſui nutrimentum conuertunt? Hæc meo quidem iudicio nullius antipathiæ ſunt indicia, ſed amicitiæ potius, quoniam ex aqua & Sagarum corporibus vnum quid conſtituitur.

Equidem ſi inter aquam & Sagas aliquid antipathiæ eſſet, cùm aqua ſit corpus homogeneum, cuius partes eiuſdem cum toto ſunt naturæ, oporteret antipathiam hanc in minima etiam illius guttula ſuas vires exerere, quemadmodum cæteræ aquæ proprietates in minimis eius particulis ſeſe manifeſtant.

Præterea cùm Sagę panem Domini contra Dominum edentes, & poculum Domini contra Dominum bibentes, non mino-

re contumelia ſacram Cœnam afficiant, quàm Baptiſmum: cur hæc duo ſymbola, panis & vinum, non pari etiam odio, quo aqua, Sagas proſequuntur? Par, vt mihi quidem videtur, vtrobique eſt ratio. Videmus autem pane Sagas veſci, & vinum auidiſſimè bibere, adeò vt nulla hîc odii vel minimi argumenta appareant.

Et cum Baptiſmum irritū faciant, quotquot è Dei cœtu in caſtra Diaboli tranſeunt, vt ſunt Mamaluchi apud Turcas, aliiq; impii & hypocritæ impœnitentes, per Baptiſmum Eccleſiæ Dei viſibili olim inſerti, cur non aqua, tanquam ſuos hoſtes, hos etiam odit, & mergi prohibet? Ego quidem à ſubmerſione immunes nunquam audiui.

Verùm aliquid ex teipſo contra teipſum audiamus. *Philarchus*, inquis, *refert, in inſula Ponto genus quoddam eſſe hominum, qui propemodum omnes artem norint Magiæ illicitæ & præternaturalis: eorumq; indicium eſſe imaginem in altero oculo equinam, in altero autem geminæ pupillæ, qui nulla ratione ſub aquis poſſint ſubmergi, vt maximè pluribus etiam veſtimentis aggrauentur & onerentur.*

Quid audio Scriboni? Quid hos mergi vetuit? num odium aquæ? Atqui illi ethnici erant baptiſmate ſacro haudquaquam tincti. Ex

cti. Ex quo efficitur, aliam ſupernatationis Sagarum, cum per aquam explorantur, cauſam eſſe, non indignationem aquæ ex baptiſmi contemptu natam.

Heu iterum proprio Scribonius occidit enſe!

Cum itaque internum hoſtem habeas animum à ſeipſo vtplurimum diſſentientem, & extremum illud tuum refugium ab vna parte Theologi, ab altera Philoſophi ſuis machinis tam vehementer quaſſarint, vt tueri amplius nequeas; quid ſupereſt, quàm vt deditionem facias, herbam porrigas, & à bello hoc ſcholaſtico in poſterum, quantum potes, etiam præter naturam tuam abſtineas? Norunt illi

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Penes te eſt, vtrum expectare malis, eligere.

CAPVT XII.

Quæ vera ſit cum efficiens tum finalis cauſa, quòd Sagæ in purgatione per aquam frigidam ſubmerſioni non ſint obnoxiæ.

EX iis, quæ hactenus diximus, apparet, Sagas à Satana non ita obſideri, vt per totam ipſarum eſſentiam, eſſentiæq; partes ſingulas eſſentialiter, (quemadmodum tu loqueris) ſit diffuſus. Manifeſtum etiam eſt,

Diabolos leues non esse, ac proinde nulla spirituali leuitate Sagarum corpora, quæ in se grauia sunt, tam leuia posse reddere, vt in aquæ superficie librata fundum non petant. Ex quo illud etiam efficitur, Diabolum leuitatis suæ, quę tamen nulla est, beneficio, eadem corpora pristina grauitate manente in summa aqua citra mersionem haudquaquam retinere. Postremo loco ostensum, aquam Sagis ob Baptismi despectum peculiari quodam odio infensam non esse, neque inde fieri vt à submersione sint immunes. Hæc, inquam, hactenus non minus firmiter quàm perspicuè demonstrata sunt.

Cum verò, quicquid fit, alicuius causæ vi existat: illæ verò, quæ abs te allatæ sunt, non probentur: aliam fortasse à me requires. Vt liberè dicam quod sentio, ex naturalis scientiæ fontibus nullam hauriri posse existimo, iique, qui id tentant, inani cura ingenia sua fatigare mihi videntur. Absque impietate tamen affirmari posse censeo, Diabolum admiranda potius, quàm inquirenda facultate id, quod quæritur, præstare. Nam cui tanta vis est, vt non solùm Sagas, sed alios etiam homines sæpe per aërem sublimes rapiat, quis neget, eundem Sagas in aquæ superficie, ne mergantur, posse fulcire? De quibus te quo-

te quoque in epistola tua loquentem audiamus.

Argumento est, inquis, *& documento, vt mihi videtur plane verisimili: quòd eas sæpenumero in sublimẽ vsq; aërẽ trahat, quibus pro sua alioquin corporata quam obtinent natura, eo vsq; ascendere impossibile futurum sit. Quod si verò hoc imaginarium & falsum esse quis putet, vtpote quòd ita contingere sua tantummodo imaginatione sibi persuadeant: experientiæ contrà argumento nitor, quæ sæpissime testata fuit, homines etiam, quos cum malo spiritu vllam habere coniunctionem nemo vnquam deprehendisset, ab eo ex vna platea in alias longissimè dissitas, aut sæpe quoq; ex vrbe aliqua vel pago in campos siue remotiores, prius in aërem subliniorem quasi capillis subuectos, violenter proiectos fuisse: vt tum alibi, tum Marpurgi aliquoties contigisse resciui.*

Simili potentia bonus angelus Prophetam Habacuc ex Iudæa in Chaldæam, vt pulte sua Danielem in spelunca leonum cibaret, detulit. Adderem etiam historiam tentationis Christi in deserto, quem Euangelistæ affirmant à tentatore supra pinnas templi statutum, atque inde in montem excelsum transportatum, nisi hoc alii cum D. Cypriano in sermone de ieiunio & tenta-

tione Christi, ſpiritu magis quàm corpore contigiſſe affirmarent. Modus, quo talia eueniunt, nobis incognitus eſt, neque vt cognoſcatur, noſtra refert. Habes igitur Scriboni, quid de cauſa efficiente ſentiam.

Finem requiris? Is ex Diaboli ingenio æſtimandus eſt, qui cùm natura ſua ſit mendax & homicida ab initio, tum etiam humani generis iuratus hoſtis, alium ſcopum non habet, quàm mendaciis omnia inuoluere, à vero Dei cultu abducere, ſuperſtitionibus hominum animos irretire, cædes innocentium ſpirare. In hoc autem per aquam frigidam examine hoc potiſſimùm quærit, ut ſpectatores ſuis præſtigiis dementet: reas veneficii quandoque liberet; innocentes cõtrà carnifici diſcruciandas tradat. Atq; hanc meam ſententiam cum religione & pietate nequaquam pugnantem non dubito, quin homines cordati & Dei & æquitatis amore accenſi ſuis ſuffragiis ſint approbaturi.

EPILOGVS.

VTinam, Scriboni, aut tuam Phyſiologiam in lucem nunquam emiſiſſes, aut ſaltem à ſcommatibus & dicteriis, quibus Evvichium amarulenter impetis, abſtinu-

ſtinuiſſes. Tum certè ego hoc moleſtiſſimo ſcribendi labore libenter ſuperſediſſem. Cauſaberis ea, quibus Evvichius perſtringitur, ipſo adhuc viuo abs te conſcripta fuiſſe. Eſto ſanè. At certè typis impreſſa nondum erant, & longo poſt illius obitum interuallo in hominum manus peruenerunt. Tolli igitur illepidi tui ſarcaſmi abs te potuêre, & lacunæ rebus vtilioribus expleri.

Amicè autem te moneo, vt modeſtiæ deinceps ſtudeas, niſi τῷ αὐτῷ μέτρῳ καὶ λώιον tua conuitia tibi reddi velis. Ego ſanè moderato & ſobrio ſcribendi genere delector, non tali, quale nunc ſecutus ſum. Sed nodo malo malus quærendus erat cuneus. Cumq;, vt Ouidius ait,

Sæpe ferat miſeris ſuccus amarus opem.

Ego quoque huic diſputationi plus aloës quàm mellis admiſcui. Sciebam enim, mel in calidis naturis in bilem conuerti, quo humore & inſuper pituita ſalſa (ſic enim vos loqui puto) te totum, quantus quantus es, diffluere, ſcripta tua perſpicuè teſtantur. Itaque ne oleum igni adderem, mel paulò moderatius adhibui. Tuum eſt hunc laborem, quem tui commodi gratia ſuſcepi, boni conſulere, & ignotum patronum veritatis amicis tuis adnumerare.

Ad Lectorem.

QVoniam prodigiosę illius Scribonianæ epistolæ in Typographorum officinis nulla amplius exempla prostant, ne quis falsò & per calumniam mea, quæ ab ignoto veritatis patrono examinantur, allegare putet, visum est ipsam Epistolam, ex Lemgouiensi exemplo fidelissimè descriptam, hoc loco subiicere.

Finis.

DE EXAMINE ET PVRGATIONE SAGARVM PER AQVAM FRIGIDAM

EPISTOLA

Guilielmi Adolphi Scribonii Marpurgensis.



cIↃ IↃ LXXXIX.

PRVDENTISSIMIS ET IVRISCONSVLTISSIMIS VIRIS, DOMINO HENRICO FLOREKEN, & Domino Theodoro Cothmanno, Consulibus, Scholarchis, & Consiliariis Reipub. LEMGOVIANAE dignissimis: fautoribus & amicis suis obseruandis.

εὖ πράττειν.



Vm die vigesima quinta Septembris, Prudentissimi & Doctissimi Consules, ad vos Lemgouiam venirem: biduo pòst die Veneris videlicet proximo ante ferias Michaelis, anni huius currentis CIↃ IↃ XXCIII. *tres Sagæ siue Veneficæ ob plurima & nefanda à se commissa peccata, Senatusconsulto extra vrbem ignis flamma occisæ fuerunt; eiusdemq; diei vespere tres aliæ protinus, quas illæ priores magistratui ceu socias & suæ factionis consortes indicassent, à lictoribus comprehensæ, & carceribus mancipatæ: sequente autem die circiter horam pomeridianam secundam ad explorandam rei veritatem ante portas vrbis in aquas proiectæ fuerunt, vt videretur, num submersum nec ne ituræ essent. Nempe pedibus manibusq; ligatæ, &*

vestibus prius exutis hac ratione vinctæ erant, vt dextri lateris manus sinistri pedis pollici, & vicissim sinistra manus dextro pedi arctè colligaretur, vt ne minimum quidem se aut corpus suum mouere possent. A carnifice deinceps in flumen, millenis aliquot hominibus aspectantibus, & singulæ quidem vice tertia coniectæ ei instar trunci alicuius lignei innatabant, nec vlla earum submergebatur. Et quod miretur aliquis, cùm è carceribus per ciuitatem singulæ ad dictum examinis locum in singulis carris euheherentur, pluuiosa admodum tempestas iam ante orta, quamprimum, eo ipso ferè momento, quo Sagæ istæ aquas contingerent, remittebat, adeò, vt dum illis supernatarent, ex improuiso Sole splendente cœlum omninò esset serenum. Iis autem denuo extractis subitò iterum pluere incipiebat.

Huic ego spectaculo cùm interessem, rei visæ nouitatem summopere admiratus, vtpote quæ in aliis Germaniæ partibus vix audita esset: de examinis eiusmodi causis & rationibus nouisse aliquid cupiens, nihil certi rescire potui, sed dici tantùm intellexi ex obseruatione quidem nonnullorum populorum hanc præterita æstate consuetudinem introductam esse, vt si quæ sint Sagæ aut Veneficæ, vel saltem artis & societatis illarum ob antegredientem quandam reuelationem

nem suspectæ, ex prædicto modo examinentur, & quæ aquis supernatent, nocentes putentur, quæ verò submergantur, liberæ & insontes scelerisq; puræ credantur: nec tamen vllam huius iudicii sufficientem causam dari posse.

Vehementius itaq; rem indies demiratus cogitare cepi: an Physica aliqua & naturalis ratio huius præsertim rei, quæ humano consilio atque iudicio excogitata introductaq́; fuisset, inueniri & describi posset. Idque eam maximè ob causam, quod vos prudentissimi & doctissimi Consules, præsentibus aliis Consularibus à me peteretis, vt quid mihi hac de re videretur, significare, & vobis descriptum communicare vellem. Fateor itaq;, nec enim negare possum, rem hanc esse stupendam, & plurimùm admirandam: non autem eiusmodi actionem esse puto, quam mente nostra haud comprehendere queamus. Quamobrem etiam meam qualemcunque sententiam, minus grauatè pro ingenii quod in me est tenuitate annotare volui, aliis eruditioribus occasionem præbiturus, vt illi propositam quæstionem caput hominis vitæ discrimen concernentem, melius meliusque perpendere & declarare studeant.

VVierus Philosophus Medicus lib. 6. de præstig. dæmon. cap. 7. huius consuetudinis mentionem faciens, eam nihili faciendam & ceu rem

siue indicationem sæpe fallacem contemnendam esse concludit. Nullis autem, quæ videam, certis argumentis sententiam suam tueri & defendere potis est. Neque vllum quoque speciale in eo cap. proponit exemplum, quo testetur hanc Sagas cognoscendi & probandi experientiam fallacem & incertam esse. Quamobrem VVieri testimonio, nemo arguere poterit rei quam explicamus futilitatem & incertitudinem.

Præterea ante VVierum Iurisconsulti quidam veteres, id quod te in primis Clariss. & Doctiss. Domine Cothmanne mihi monstrante, è lectione illorum obseruaui, eiusdem rei mentionem fecerunt, sub titulo vel nomine purgationis per aquam frigidam. Cuiac. in com. 2. super lib. 1. de Feud. Gerh. Nigri hoc iudicium aquæ frigidæ definit, indicans hoc in Longobard. prius vsitatum, sed denuo exolutum fuisse. Iodocus insuper Daumhoude. Brugens. in rerum crimi. praxi cap. 43. Eodem, inquit, pene tempore & aliæ purgationes & vulgares fuere receptæ, quibus à præsumptionibus & suspicionibus diffamati & delati purgabantur. Nempe cum candens ferrum vola manus compresserant, aut cum super ignoto ferro nudis plantis incesserant hisve similia: de quibus purgandi formis multa donata sunt à principibus priuilegia Flandriæ. Porrò Gan-

Gandauenſibus ciuibus à Comite Flandriæ indultum priuilegio fuit ſeſe purgare aqua frigida, &c. Earundem purgationum meminit Didacus Couarruuius à Leyua Toletanus Archiepiſ. Hiſpan. lib. 4. cap. 23.

Philarchus inſuper refert in inſula Ponto genus quoddam eſſe hominum, qui propemodum omnes artem norint Magiæ illicitæ & præternaturalis: eorumq; indicium eſſe imaginem in altero oculo equinam, in altera autem geminæ pupillæ qui nulla ratione poſſint in aquis ſubmergi, vt maxime pluribus etiam veſtimentis aggrauentur & onerentur. E quo cognoſcitur, in Ponto quoque vſitatam fuiſſe conſuetudinem purgandi Sagas per aquam frigidam. Et alij plures eandem purgationem deſcribunt. Sed verbo tenus tamen illi definiunt potius, quàm verè interpretantur, qua de cauſa hæc maximè purgatio adhibita ſit. Nulla enim Catholica ſiue conſtans aut firma ratio additur. Equidem vero quod vidi diligentius perpendens cenſeo, ſi nec ego, nec VVierus: nihilominus tamen alios forſan cauſam aliquam purgationis inuenire poſſe. Quod enim hominum logicæ intelligentiæ ſubiectum eſt: eius quoq; cauſa aliqua, ſi non omnino certa, attamen probabilis inquiri poteſt: qua etiam, ſi certa deſit, mens humana acquieſcere ſolet. Sagarum verò illud examen humano con-

silio iudicioq; introductum est. Ergo non dubium, quin certis de causis & argumentis excogitatum fuerit, vt maximè prisci illi autores ista suis descriptionibus non addiderint.

Omnium proinde Academicorum Peripateticorumq; philosophorum vnanimis & concors hæc sententia est, leuia ferri sursum, & superiorem quenque locum petere: grauia verò deorsum ferri, & inferiore semper loco pro suapte natura gaudere. Vnde fit, vt vel maximum lignum propter raritatem essentiæ, quam leuitas consequitur (omnia enim rariora sunt quoque leuiora) aquis supernatet: lapis autem, siue plumbi portio vel minima, ad fundum feratur. Ex hoc igitur fundamento physicorum propositæ quæstionis sententia deducenda & concludenda videtur: quare videlicet Sagæ potius, quàm aliæ mulieres super aquas ferantur, nec submergantur. Atqui obiecerit quispiam, opinor, protinus eandem esse & materiam, & formam corporis Sagarum, quæ sit aliarum fœminarum: easdemq; qualitates à primis ortas, quoad leuitatem & grauitatem. Si igitur Sagis leuitas quædam adscribenda sit, non minorem quoq; aliarum mulierum concedendam esse. Quamobrem aliud principium ad quæstionem nostram constabiliendam assumendum erit.

Dico itaque, Veneficas prioris suæ formæ statum

tum eo ipso tempore protinus amisisse, quo necessitudinem cum Satana & familiaritatem inierunt, nec amplius esse tales homines, quantum ad formam interiorem, quales ante fuerunt: adeoq́ue nouam prorsus formam assumere. Sagæ scilicet definiri possunt homines essentiam Diaboli, à quo obsidentur, participantes. Malus enim iste genius, spiritus & rex aëris, qui causa & origo est delictorum peccatorumq́ue omnium, corda malarum istarum mulierum, & partes reliquas vniuersas ita occupauit, vt totus per totam illarum essentiam, essentiæq́ue partes singulas substantialiter sit diffusus: imò vt tantisper, dum pœnitentiam veram haud egerint, & omninò resipuerint, non possit ab vlla corporis earum parte abesse. Vnde fit, vt vbicunque moueantur, hunc secum gestent, ideoque nihil quoque boni amplius cogitare aut efficere, sed pessima & deterrima quæque scelera & flagitia perpetrare, peccataq́ue enormia committere soleant, nihil nisi detrimentum atque pernitiem aliarum creaturarum molientes. Quamuis enim nonnunquam bonitatem, pietatem, sanctimoniámque, nescio quantam simulare videantur, adeò vt vel Dei Opt. Max. mensam cum aliis accedere interdum non vereantur: id quod obseruatum fuit in quibusdam, quæ primis quoque diebus, postquam id fecissent, comprehensæ fuerunt: id fit ex in-

ſtinctu tantùm & permiſsione Satanæ, vt aliis hominibus ipſarum malitiam non ſentientibus, eas diutius in retibus ſuis retinere, & magis magisque decipere poſsit, & ne vel ipſæmet veneficæ omnimodam Satanæ, quem amicum ſuum familiarem agnoſcunt, malignitatem animaduertere valeant.

Quæ cum ita ſe habeant, nemo vtique dubitauerit, quin & totius corporis ipſarum facultates & potentiæ prorſus immutatæ ſint, ac priſtina earum forma perierit. Mali autem genii natura planè ſpiritualis eſt, ætherea, ſiue etiam, ſi placeat, aërea, leuiſsima, in omnem locum ſublunarem celerrimè permeabilis. Quapropter putauerim ipſam in Sagarum corporibus reſidentem ſua eſſentia ſpirituali atque volatili ſiue leuiſsima, longiſsimè etiam leuiora illa reddere, quamuis hoc ab alijs non deprehendatur: vel potius ita attrahere ſpiritu ſuo ipſis eſſentialiter infuſo ac inhærente, vt per eius leuitatem ſuſtentatæ, nolentes volentes, ſub aquas ferri non poſsint. Argumento eſt & documento, vt mihi videtur, planè veriſimili: quod eas ſæpenumero in ſublimem vſque aërem trahat, quibus pro ſua alioquin corporata quam obtinent natura, eo vſq; aſcendere impoſsile futurum ſit. Quod ſi verò hoc imaginarium & falſum eſſe quis putet, vtpote quòd ita contingere ſua tantummodo

ima-

imaginatione sibi persuadeant: experientiæ contrà argumento nitor, quæ sæpissime testata fuit, homines etiam quos cum malo spiritu vllam habere coniunctionem nemo vnquam deprehendisset, ab ea ex vna platea in alias longissimè dissitas, aut sæpe quoque ex vrbe aliqua vel pago in campos siue remotiores, prius in aërem subliiorem quasi capillis subuectos, violenter proiectos fuisse: vt tum alibi, tum Marpurgi aliquoties contigisse resciui. Atqui exempla sunt odiosa. Verum enimuero facile obiecerit aliquis, si spirituali leuitati adscribendum sit, quo minus veneficæ mulieres, quàm aliæ submergantur: purgandi tamen hanc rationem esse incertissimam & fallacissimam. Quandoquidem & aliæ spiritum suum ita forsan cohibere possint, quo facilius aquis supernatent. Quemadmodum videmus eos, qui spiritum corporis diutius in se retinere & cohibere valent, longinquius etiam & diutius natare posse. Atqui compertum & exploratum est omnibus, natationem non tantum à spiritus cohibitione, sed multò magis proprio & validiore corporis partium motu effici & meliorem fieri. Cum verò Sagæ & aliæ innocentes mulieres eodem modo vinciri & ligari soleant: nec magis nec minus hæ quàm illæ & vicissim corpora sua mouere possunt. Et spiritus siue aër exterior, quam qui natare so-

lent attrahunt, alĳs non minus intercipitur aut excluditur quàm Sagis, & hisce contrà non magis intercipitur quàm illis. Attamen istæ, quæ innocentes sunt, qualemcunque spiritum attrahant, submerguntur. Quippe experientia testis est, omnes illas, quæ non submersæ fuerunt, deinceps spontanea confessione se reas aut nocentes esse significasse. E quibus satis palam liquet error VVieri, qui contendit, ob spiritus cohibitionem quasdam non submergi, cùm nihil prohibeat, quin & aliæ spiritum suum fortiter cohibere valeant.

Quapropter non video, quid absurdi inde sequatur, si dicam, Spirituali (Satanica nimirum) leuitate siue spiritu aëris Sagas in altũ trahi, aut in superficie aquarũ seruari, ne in ĳs pereant. Sed obiecerit aliquis: Ergóne igitur Satanas saluas & incolumes cupit hasce suas ministras? Quis amabo finis est illius attractionis siue supernatationis veneficarũ? Nequaquã certè illarum conseruationem spectat. Sed sua naturali potentia ex permissu Dei Opt. Maximi eas in aquis sustinet, fouet & trahit, non quidem in hunc finem, vt seruentur aut liberentur: sed potius, vt Diabolica ipsarum necessitudo, & quod cum malis habeant genĳs consortium, aspectantibus innotescat, ipsæque in maius & perniciosius corporis pariter & animæ discrimen adducantur.

tur. Nempe Satanas ipſe ceu miniſter & lictor ad iuſſa diuina exequendum deſtinatus, eas hac ratione magiſtratui & vniuerſo populo indicare, earumque impietatem puniendam eſſe vult (imò nolens etiam volens cogitur) ſignificare, vt mercedem ſuam, quam promeritæ ſint, accipiant. Omnes enim eos, quos ad ſceleſtum aliquid perpetrandum pellexit, tempore præſertim eo, quo diuinæ Maieſtati viſum fuerit, ad extremam perniciem vel lubentiſsimè adducit. Cauſas igitur naturales purgationis Sagarum per aquam frigidam quærentibus non præter rationem ego dixerim: Cauſam efficientem illius eſſe Spiritualem in ipſarum corpore, quæ à ſimili in eo contenta leuitate oritur, attractionem: Cauſam verò finalem, vt natura talium hominum manifeſtetur. Cum enim ſpirituum ſubſtantia mortalium viſionem effugiat (Neque enim vllus vel tractabilis vel aſpectabilis eſt) propoſita purgatione tanquam medio conuenienti & idoneo, quod homines viſu ſuo queant percipere, vtitur, vt cuius corpus videre non poſsint, eius tamen voluntatem & legationem cognoſcant. Quibus conſideratis non inanem omninò, & pro nihilo habendam eſſe duco, Conſules prudentiſsimi doctiſsimiq́, veſtram in ciuitate Lemgouienſi conſuetudinem examinandi & purgandi Sagas per aquam frigidam.

Etiamsi enim in sacrarum literarum monumentis nullum expressum de hac quæstione præceptum legatur: inde tamen haud consequitur, hanc in natura quoque nullam habere originis suæ rationem. Infirmissima enim hæc consequentia est & absurdissima: purgatio Sagarum per aquam frigidam in sacris literis non traditur aut præcipitur. Ergo nulla quoq; naturalis ratio eius dari potest. Multò ineptior est argumentatio. Purgatio Sagarum est contra naturam: ideoq; non admittenda: Quia omne corpus hominis vinctum & ligatum non potest non submergere. Sententia hæc est ignorantium principia physicorum, qui docent: Multa contingere præter naturam quæ tamen non sint contra naturam. Et eo ipso quod præter naturam ista purgatio videatur, intelligitur aliquid singulare per eam significari: corpora videlicet Sagarum quæ non pereant, aliter affecta & disposita esse, quàm aliorum hominum corpora. Item: Quandoquidem in Euangelio nihil de ea legitur: Ergo impia est & minimè obseruanda. Multa sunt quæ nec præcipiuntur in Biblijs, nec prohibentur, & tamen suis de causis in Ecclesia à Theologis admittuntur, qualia sunt quæ ab ijs dicuntur adiaphora. Nequaquam enim contra pietatem esse puto, eiusmodi suspectos homines in aquis purgare: præsertim quia propter

hanc vnam purgationem nulla condemnari solet. Et hæc sunt prudentißimi & doctißimi viri, quæ ob vestram petitionem breuiter meditatus fui. Saluum tamen Theologis, Iurisconsultis & Philosophis, quorum omnium hæc quæstio communis est, suum iudicium liberrimè lubentißimeq; relinquens.

Scriptæ & datæ Lemgouiæ in comitatu Lippiensi, ex ædibus Domini Conradi Grotheny vrbis vestræ Typographi, 4. Octobris, Anni huius 1583.

P. & Cl.

Vestræ

Addictiß.

Guilhelmus Adolphus
Scribonius Marpurgensis.

E

Ad Lectorem.



E ſequentes pagellę vacarent, adiecta eſt epiſtola, ab H. Piſtãdro, qua ignotum veritatis patronum, amicum ſuum, ad edendum hanc de examine Sagarũ per aquam frigidam diſputationem adhortatur.

IGNO-

IGNOTO PATRONO, AMICO SVO H. PI-STANDER S.



VOD Bernardus olim de contentioſis verè pronunciauit: Pacem contemnentes & gloriam quærentes, pacem perdunt & gloriam: idem mihi, Patrone, ad Phyſiologum noſtrum Scribonium aptiſſimè quadrare videtur. Quid.n.ille ſcriptionibus ſuis, ſi paucas φιλομεθόδους excipias, aliud venatur, quàm inanē gloriā? quid quærit aliud, quàm vt contradicendo omnibus ipſe & Logicæ gentis dux fortiſſimus, & Rhetorum impudentiſſimus, & phyſicorum maximè παράδοξος habeatur: reliqui autem ad iſtum heroëm collati homulli humi repant, ipſius imperium ferant, triumphali currui inſidentem proni reuereantur. De Logicis enim eius commentationibus quid ad te hominem peritum ſcribam? Quid arrogantius, quàm vertiginoſi capitis cogitationes, in cœtu tertiæ claſſis diſcipulorum à ſemiebrio doctore eructatas, (quod ſermo vtplurimum ſibi non conſtans abundè teſtatur) publicas facere, triumphum ducere, Rami interpretes maledictis & anilibus iur-

giis impetere: sibi verò ipsi vbi libet & quando libet, interlinendi, addendi, mutandi in Rami Logica ius arrogare? Sed Scribonium qui nôrit, aliter facere non posse sciet. Vt enim iuxta Virgilium

Neglectis vrenda filix innascitur agris:

Sic ex præstanti illius ingenio, luxu, sordibus, & squalore tantum non deperdito, quid nunc nisi intemperans, biliosum, κακόχυμον proueniret? Respõdent enim ferè corporis temperamento, (sicut κρᾶσιν Græcorum Latini nominant) spiritus in cerebro nati: vnde dictorum & factorum fons quidam existit: quod & ipse Scribonius intelligeret facilè, nisi medicus videri, quàm esse, mallet. Rhetorem autem Gorgia Leontino & Sophistis veteribus, quorum nomen ob impudentiam passim exosum est, longè impudentiorem in Scribonii capite habitare duabus potissimum è rebus colligo. Primùm, quia loquacitate, cuius comitem esse vanitatem sapienter veteres dixerunt, putat se colorem addere posse suis paradoxis. Hinc à propriis locutionibus ad modificatas confugit, sub quibus tanquam Aiacis clypeo lateat, cùm aquam sibi hærere deprehendit. Hinc ex musca elephantum, cum vult, extruit: & imperitis suis discipulis

fumos

ſumos pro veritatis luce vendit: denique vt Protheus quidam in omnes ſe formas convertit. Sed hæc adhuc tolerabilia, Patrone, in tam ἀκολάστῳ δοξοσόφῳ crederent,& ſua-ipſius miſeria ſatis afflictum relinquerent homines eruditi:niſi ad alios etiam deformandos hæc lentigo progrederetur. Cum enim apoſtrophas nominatim ad eos inſtituit; quos pro ſua libidine impetere audet,quàm lepidè eſt maledicus? quã in ſarcaſmis quouis cane & angue, mordacior? denique in bonorum fama ſuggillanda quàm extremè impudens?

Videres, Patrone, vltimum eius ſubſcriptũ nomine λογικὸν,reapſe ἄλογον: multoties illic impudentiſſimè mentiri dicit aduerſarium ſuum, virum ſtylo & ingenio admodum moderato, vt ex multis prædicari audio. Ex nomine verò antagoniſtæ ſui quàm ſcurrilis ſibiipſi delicias ſiue ventulos Plautinos facit? Reliquos eius generis floſculos omitto. An non egregius tibi hoc modo videtur Rhetor? ſibi certè in hoc luto volutatus mirè placet.

Iam quod ad paradoxa phyſica attinet, quibus novator ille ad immortalitatem adfectat viam; vnicum illud inſtar multorum eſſe poteſt, de Sagarum per aquam frigidam

purgatione. Deprehensum fuit superioribus annis, mulieres, quæ in suspicionem de commercio cum Satana venissent, in profluentem coniectas supernatasse, nec vlla ratione submergi potuisse. Hinc quæsitum à prouidis illorum locorum magistratibus fuit, an eius rei naturales aliquæ causæ deprehendi possent: quo posito sequeretur, illam supernatationem pro certo reatus indicio haberi debere: vnde facilimè euinci posset, quæ huius criminis reæ essent, necne: quod alioquin ambiguum inquisitu, & diiudicatu difficilimum sapientissimi quique iudices, omni tempore censuerunt. Adfuit forte ad eiusmodi spectaculum noster Scribonius.

Dissertantibus igitur & pendentibus in incerto hac de re reliquis, ipse statim; videri sibi eius rei rationes naturales esse; respõdit.

Quam etiam opinionem nullis neque diuinis, neque humanis rationibus probabilem paulò pòst in sua epistola audacter exposuit: audaciùs publicis typis diuulgauit: nunc verò audacissimè, imò impudentissimè ad rauim vsque maledictis & scommatibus in demortuos etiam viros graues & eruditos debacchatus, in publico doctorum huius seculi hominum theatro, defendere

non

non erubeſcit. Sed quid erubeſceret ille, à quo pudor, cuius ſignum ſiue vehiculum potius quoddam eſt rubor, omnis exulat? Sparſa eſt initio, vt noſti, θαυμαστὸς illa καὶ παρά-δοξος epiſtola longè lateque: ſed omnium eruditorum iudicio, quos mihi quidem ab eo tempore hac de re iudicantes audire contigit, (audiui autem neque paucos, neq; iudicii expertes) exploſa eſt opinio illa: imò ipſe auctor, qui ob labores in phyſicam inſumptos à bonis diligebatur, multis ſuſpectus fieri, & de exiſtimatione ingenii ac cenſendi acrimonia apud ipſos Scriboniani nominis amantes periclitari Scribonius cœpit. Iudicabant enim multi periculoſiſſimam hanc eſſe cenſendi in philoſopho temeritatem: quippe quæ iudicibus ſimplicioribus animum addere poſſet, vt in comburendis illius generis mulierculis ſtrenuè pergerent: quæ tamen capitales ſententiæ deinceps, ne fortaſſe meliùs perſpecta irritæ non fierent: etſi ſententiam ſuam Scribonius meliora edoctus, vt decet φιλαλήθεις, mutaret. Vt igitur Scribonium in hac ardua quæſtione non ſine præiudicio errantem erudirent, multi certatim viri docti, tanquam ad incendium extinguendum, ad eruendum hanc rebuſp. peſtiferam opinio-

nem, & priuatim & publicè accurrerunt. Et publicè quidem ab Evvichio, pię memorię, ſene pio, & tam doctrina quàm experientia præſtanti, eleganter eſt hoc deliriũ, diſſimulato auctoris nomine, confutatũ. In Academia quoq; Marpurgenſi liberrimo iudicio philoſophus Goclenius publica oratione panegyrica, quæ typis procuſa deinde eſt, idẽ thema diſceptando contra Scriboniũ, ſicut & deinceps pluſculis diſputationibus publicis, concluſit. Tum Neuvvaldus Helmſtatenſis Academiæ Profeſſor breuiter & accuratè, monſtratis abſurditatum ex hoc dogmate conceſſo promanantium cumulis, ad epiſtolam illam reſpondit. Priuatas verò magnorum virorum admonitiones, & hac de re paſſim perſcripta iudicia, quæ ignorare Scribonius niſi ebrius, negarè niſi improbus non poteſt, omitto. Sed quod hoc ſuo labore ſecuti ſunt hi tot & tanti viri, ſuntne etiam aſſecuti? Nihil certè minus. Cum enim iugulatum hoc dogma & ſepultum crederetur, en Scribonius noſter figmentum ſuum noua impudentiæ ceruſſa pictum, & inſigni linguæ petulantia oblinitum rurſus in publicum producit, & Phyſiologiæ Sagarum titulo imperitis vendit: cum tamen de aliis infinitis ferè in hoc genere

nere quæstionibus, nihil nisi pervulgatum, & ex Bodino, Wiero, Erasto, Sprengero Monacho, ferè ad verbum descriptum proferat: sed hoc vnum agat, vt priorem sententiam de Sagis supernatantibus vindicet: quia δοξοσόφῳ ingratum fuerat reprehendi; quod nemini φιλοσόφῳ in errore versanti ingratum esse potest aut debet. Cum autem veritas ita illum percelleret, vt simpliciter tueri, quod semel publicum fecerat, non posset, neque fortasse viuo Evvichio vellet, tandem mortuum Evvichium & Neuvvaldum procul absentem hac ipsa Physiologia illiberalissimè perstringit, mordet, vellicat, manibus pedibusq; veritati obstrepit, &, quod de sæpia pisce Plinius commemorat, atra se spuma inuoluit, ne erroneam defendisse opinionem videatur. Goclenium autem, quem & in vicinia habitare, & ad eiusmodi nugas refellendas, si per occupationes liceret, ab eruditione instructissimum esse nouit, nominatim non attingit: quamuis eius argumenta aliquoties irridendo obscurare conetur: quam rationem semper philosophis esse indignam habitam, Plato est testis, in cuius Gorgia Socrates Polum Rhetorem hanc ipsam ob causam grauiter reprehendit. Sed hic philo-

ſophandi modus, Patrone, qualem Scribonius adhibet, an non ab agyrtis tibi petitus videtur, qui vt medicamenta ſua adulterina in vulgus commendent, omnes veram medicinam factitantes præ ſe contemnunt; ſuas ipſi laudes alta voce decantant; habitu ſe ſplendido vel mutuum ſumpto oſtentant? Euolue quæſo, Patrone, eam quam dico Phyſiologiam, videbis quàm ſcurrilibus ſarcaſmis & ironiis Evvichio & Neuvvaldo nouus iſte paradoxorum mangoniſator illudat. Inter alia ad virgas optimum ſenem condemnat: non abſimili impudentia, qua paucis abhinc annis quidam mathæologus venerandum ſenem D. Sturmium, non ſine ſuorum etiam quorundam indignatione luſit. Vbi verò ad ſeipſum deuenit, hîc triumphum cantat, hîc vermium abactiones & neſcio quæ commemorat. Deniq; vt nihil ad comendam ſuam Helenen deſiderari patiatur, vndique conquirit fucos, quibus illam exornet. Hinc de teſtibus & aliis rebus quædam à ICtis deprompta ſuis nugis infarſit: quæ tamen, etſi planè heterogenea ſunt, tam inepta & longiſſimè detorta non ſunt, quàm illa, quæ ex Theologia de ſacro Baptiſmo aſperſit, item quæ de dæmoniacis huc accommodauit. Quibus omni-

mnibus magnam ſe huic quæſtioni lucem attuliſſe, & egregiè expeditum ſe eſſe rationum vinculis, quibus irretitus tenetur, autumat: interim verò omnes methodi Rameæ leges à ſe triumphatore Rameo nuſquam obſeruatas nō deprehendit. Sed hæc omnia, & quæ ſunt reliqua, malo te ex ipſo ſcripto cognoſcere. Diſſerui aūt hęc apud te, Patrone, prolixiùs, vt te pro excellenti tua eruditione & iudicii conſtantia permouerem, quò breuiter rationes illas nouas collectas refutares, & metonymiam quoq; auctori eriperes. Quod ſi, vt potes, præſtare voles, veritatis patrocinio magnam apud optimos quoſq; gratiam inibis, & hanc animis hominum opinionem eximes, Scribonium veri amore adductum hucuſque tam pertinaciter, vt de aris & focis, ſic de hoc obtinendo paradoxo, dimicaſſe. Neque eſt, quod verearis, vt & tibi labem lutulentus ille adſpergat. Nam, vt eleganter à veteribus dictum eſt, maledicta in veritatem vitęque innocentiam, vt ignis in aquam coniectus, continuò euaneſcunt. Nullæ vnquam tam firmæ adferentur rationes vel in logicis, vel in phyſicis, quibus hic Rhetorculus non obganniat. Tu modò, quæ coram diſſerentem te ſæpe cum voluptate hac ipſa

de re amici audiuerunt, veritatis propagandæ studio, cum aliis bonis viris communicare ne cessato. Vale.

EPIGRAMMA AD SCRIBONIVM.

QVos prisca quondam secula
Tulêre, vates Bacchico
Certasse noctu munere
Et putuisse interdiu,
Testatur en Horatius.
Hoc fecit ille; patria
De cuius implacabile
Septem vrbibus certamen est.
Hoc fecit Ennius pater.
Nostriq́; turba temporis
Vt maximè illis carminum
Concedat elegantia:
Hac parte non cedit tamen,
Studetq́; prisci seculi
Vinositatem vincere.
Ergò camœnas fundier
Lyæum olentes non noua
Nec mira res est, sed vetus.
Et re licet illaudabilis:
Non fœda consuetudine
Tamen, populi & sententia.
Sed mira res est & noua,
Insueta, abominabilis,

Vel

Vel plebe turpis iudice;
Nunc inueniri, qui sophi
Volunt haberi, qui suis
Telluris omnes angulos
Replere commentarijs
Student, studentes gloriæ.
Quos conueniebat maximè
Se sobrios ostendere;
Quæcunque mentem & de statu
Turbare possunt, sedulò
Vitare. Sed contrarium
Ætate nostra cernimus.
Scribonij scribacitas
Exempla nobis præbeat.
Hunc fama veri nuncia
Refert libellos cudere,
Et se nihil dignum dare,
Nisi, cùm mero totus madet,
Plenusque ad ipsa guttura est.
Ructare tunc primùm occipit
Vomit hinc suas ineptias,
Illiberalia scommata,
Risus, sales, conuicia
Indigna sobrio sopho.
A quo nisi Scribonius
In posterum sibi temperet,
Docto sophorum de grege
Eliminabitur procul.

Ne ſana fortè pectora
Contagio fœdiſſimo
Morbi ſui contaminet
Et ex modeſtis, ſeu velint
Nolíntve, reddat tetricos,
Truces, feroces, aſperos:
Vt eum retundant tetricum,
Trucem, ferocem & aſperum,
Et par pari retalient.

DISTICHON AD EVNDEM.

Scribere, Scriboni, promtè tibi poſſe videris.
Mirum, ſcribendi nî cacoëthes habes.

ERRATA SIC CORrige.

Pag. 15. lin. 12. lege. Denique ſi ex cauſa de effectu iudicandum eſt. pag. 22. verſu 10. leg. priſtinam earum formam periiſſe. pag. 27. linea 18. lege AEther ſtellarum luce coruſcus viſu, &c. pag. 31. verſ. 26. leg. In poſterum exiſtunt leuia. pag. 33. verſ. 22. leg. quo natatorum. pag. 50. verſ. 9. leg. allegari. pag. 56. verſ. 28. pro ignoto lege ignito.

FINIS.

n de
eg.
27.
ru-
um
ta-
56.